



**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

II. Vtrùm in Dæmone, vel animabus damnatis maneat fides.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

vbi vigesima quarta propositio hæc erat: *Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio quodam supernaturali, & gratuito dono supra ordinem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret.* Quæ propositio cum aliis à Gregorio XIII. & Pij V. reicitur, in eundem sensum loquitur Augustinus lib. 14. de ciuit. Dei c. 17. vbi dicit, primos parentes expertos fuisse, quid infidelitas, & inobedientia eis nocuissent. S. Ambros. lib. 5. epist. 33. cum Adamo loquens: *Agnosceis, inquit, te esse nudum, quia bona indumenta fidei perdidisti.* S. Prosper ad excerpta Genuensium in respon. ad 3. dubium. *Credendo enim, inquit, Adam Diabolo, non creditur Deo.* vbi aperte supponunt, fidem fuisse liberam Adamo, alioquin si euidentiam haberet, siue rei in se ipsa, siue in attestante, non potuisset non credere Deo. Ad quod etiam videri possunt alia innumera Patrum loca, quæ congerit Suarez lib. 4. de opere sex dierum c. 2. & 4. qui dicunt, primos parentes peccatum infidelitatis commississe. Quod quidem de Eva saltem quoad infidelitatem materiale non videtur posse negari propter verba Pauli 1. ad Timoth. 2. dicentis, Euam seductam fuisse: credidit ergo magis serpenti, quam Deo, & per consequens non habuerat euidentiam de iis, quæ Deus dixerat. Si autem Eva habuit fidem propriam, & obsecram, non potuit id cum aliqua verisimilitudinis specie de Adamo negari. Et quidem cum Deus, vel Angelus loco Dei sensibilibus Adamo loqueretur, & præcepta intimaret, ut cum communi supponit Suarez lib. 6. de Angelis c. 20. n. 3. & 36. non facile apparet, quomodo notitia per voces illas sensibiles accepta potuerit dare euidentiam vel de re manifestata, vel de reuelatione diuina, quare necessaria fuit Adæ fides ad debito modo credendum propter diuinum testimonium, nec videtur de hoc puncto dubitari posse, quidquid sit de puncto præcedenti, quod ad Angelorum fidem spectabat,

SECTIO II.

Utrum in Damone, vel animabus damnatis maneat fides.

⁷ *Sententia affirmans.* Manere fidem in damnatis, si eam in via habuerunt, docuerunt Durandus in 3. disp. 23. q. 9. quod videtur etiam docuisse ibi Magister §. 4. & Alensis 3. p. q. 64. membr. 1. & in eam sententiam inclinat Salmcron disp. 3. in epist. Iacobi, & probabilem putat Valentia hic disp. 1. quest. 5. puncto 2. Quam tamen sententiam alij acerbiori nota inuunt, nam Banes in præsent. q. 5. art. 2. dub. 1. dicit esse periculosa, & errori proximam Suarez etiam lib. 8. de Angelis cap. 6. n. 6. loquens de habitu infuso fidei, dicit esse valde temerarium eum in damone concedere. Turrianus in præsent. disp. 43. dub. 3. sententiam illam dicit esse improbabilem. Alij mitius de sententia illa loquuntur, ut Hurtado hic disp. 59. sect. 2. qui eam ab omni nota liberat, & in censores acrius inuehitur. Item Granado hic tract. 13. sect. 1. n. 5. censuram Magistri Banes reprehendit. Lorca etiam disp. 30. n. 4. sententiam communem solum veriore appellat, & quod mirum est, idem Suarez in præsent. disp. 7. sect. 5. num. 3. loquens etiam de habitu fidei infuso, solum dicit, sententiam

eum negantem in damnatis esse longè probabiliorem. Ego dicere, sententiam illam, iam nunc videri improbabilem, cum nec auctoritatis, nec rationis fundamentum firmum habeat, quippe cui iam nullus ferè Theologus acquiescat, & cuius fundamenta infirma sunt, ut videbimus.

Communis ergo, & verissima sententia Theologorum negat in damnatis, siue Angelis, siue hominibus fidem supernaturalem quoad actum, vel quoad habitum infusum: ita S. Thom. in præsent. q. 4. art. 2. Suarez hic disp. 6. sect. 9. num. 9. & disp. 7. sect. 5. & dicto lib. 8. de Angelis cap. 6. Hurtado, Granado, & Valentia locis supra citatis, Coninch in præsent. disp. 17. dub. 2. num. 2. & sequentibus, Turrianus loco citato, qui alios referunt. Pro ea videtur stare Dionysius de diuinis nominibus c. 4. vbi docet, demones carere omnibus diuinis donis tam secundum habitum, quam secundum operationem; & Augustinus 9. de Ciuit. cap. 21. vbi ait, demones non cognouisse Christum per lumen, quod illuminat fideles, sed per alia diuinæ virtutis effecta signa occultissima, &c.

Ratione etiam probatur (omissis aliis, quibus parum efficaciter ab aliis probatur) quia actus fidei infusus indiget auxilio supernaturali gratuito ad hoc ut fiat; quod sanè auxilium meritò negatur damnatis, quibus iam gratiæ, & misericordiæ locus non est: & frustra illis tale auxilium daretur: cum enim actus supernaturales ordinentur ad iustificationem, & beatitudinem, cessante illo fine, prout cessat in damnatis, cessare debent media supernaturalia. Ex quo etiam fit, non manere habitum, tum quia (ut dixit Dionysius supra) meritò priuantur omni dono supernaturali; tum quia habitus esset ibi otiosus, cum in eo statu nullam vnquam posset habere opinionem. Neque obstat, manere in damnatis caracterem baptismi, vel sacerdotij; quia character iuxta veriorum sententiam non est qualitas operatiua, sed solum est signum indelebile potestatis, vel gratiæ acceptæ, de quo dixi disp. 6. de Sacramentis in genere sect. 4. n. 69. quod signum meritò manet ad maiorem eorum confusionem: at verò habitus fidei est qualitas operatiua dimanans ab habitu gratiæ, quo ablato perit ex natura rei extingui, præsertim cum iam non maneat spes operandi per illud habitum.

Confirmatur primò, quia actus fidei infusus postulat ex natura sua voluntatem bonam, & piam, à qua imperetur, ut diximus disp. 10. sect. 3. damnatus autem non credit ex affectu pio, & bono, ergo nec habere potest in eo statu actum fidei infusæ. Confirmatur secundò, quia fides infusa non vtrunque credit obiecta reuelata sed summa quadam certitudine, & super omnia; vnde vidimus disp. 6. sect. 1. damnati autem, licet credant mysteria, non assentiuntur maiori certitudine, quam quæ oritur ex ipsis signis, quibus conuincuntur: illa enim summa certitudo provenit imperatiuè à voluntate ex affectu colendi Deum: ergo fides damnatorum, non est fides infusa, sed alia longè inferior.

Probari potest secundò ad hominem, quia fundamentum relinquendi fidem in damnatis, si quid probat, probaret æquè de omnibus: nam omnes cognoscunt se esse damnatos ob sua peccata, & carere visione Dei, quam potuerunt cōsequi, quæ est pœna damni, & se potuisse esse participes redemptionis factæ per Christum, & alia eiusmodi

& tamen non omnes retinent habitum fidei, cum plurimi fuerint infideles, qui nunquam eum habuerunt, neque post mortem eis de nouo infunditur, neque enim Auctores illi id audent dicere: sicut ergo hi sine habitu aut actu fidei infusæ certissime credunt vel sciunt hæc omnia; ita & fideles damnati poterunt eadem credere, vel scire sine habitu, vel actu fidei infusæ: omnes enim æquè obtenebrati sunt, & fortè magis obtenebrati sunt aliqui fideles propter grauiora crimina, quæ commiserant.

II
Obiectio 1. Obiiciuntur primò pro Durando verba illa Iacobi in Epistola Canonica *Dæmones credunt & contremiscunt*: ubi fidem sine operibus, quæ est in viatore, videtur omnino comparare cum fide dæmonum: quo etiam modo loqui videtur Augustinus *ep. 105.* & *15. de Trin. c. 18.* & *de fide & operibus cap. 14. 16. & 22.* Non videtur autem futurum firmum argumentum Apostoli ad redarguendum eos, qui de sola fide gloriabantur, nisi supponeret, fidem dæmonum esse veram fidem: responderent enim aduersarij, fidem suam esse longè superiorem fide dæmonum.

Omissis variis solutionibus: aliqui respondent, in prædictis verbis li. *credunt*, licet ponatur de præfenti, poni tamen pro præterito: qui modus loquendi, & ponendi vnum tempus pro alio apud Hebræos familiarissimus est Luc. 7. *Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* id est, minus dilexit, ut exponunt ibi Ambrosius, Theophylactus, Beda, Euthymius, Chrysostomus homil. de Zachæo, & alij; iuxta quem sensum argumentum Apostoli firmissimum est, quasi dicat, dæmones quando erant viatores etiam crediderunt, & tamen quia non habuerunt opera, damnati sunt; ergo & tu similiter, &c.

12 Caterùm, quidquid sit de hac interpretatione; communis solutio est, Apostolum non æquiparare in omnibus fidem dæmonum cum fide hominis viatoris, sed solum quoad hoc, quod vtræque sterilis & inutilis est, si maneat sine operibus. Quod si aliquis responderet, fidem dæmonum esse coactam, & ideo esse inutilem, at verò fidem nostram esse liberam & affectuosam. Ex hoc ipso redditur firmitus Apostoli argumentum: nam eo ipso ostenditur, fidem non esse laudabilem, ex eo præcisè quod est cognitio repræsentans talia obiecta, sed potius ex eo quod procedit à bona voluntate, à qua habet meritum, & laudem, quatenus coniungitur cum bono affectu voluntatis; ergo præter cognitionem intellectualem obiecti oportet curare de honestate affectus & voluntatis; ergo fides, cum qua manet voluntas turpis & inhonestæ circa alia obiecta, non erit sufficiens ad salutem. Aliter explicari potest, Apostolum ibi solum probare, ex defectu operum fidem esse mortuam; sicut ex defectu etiam fructuum ostenditur arbor mortua; ad hoc autem probandum affert fidem dæmonis, quam fidem, quæcunque illa sit, scimus nihil prodesse, & esse mortuam, quia caret operibus; ita fides hominis, quæ sterilis est, probabitur mortua; quod argumentum optimum est. Quod autem fides sine operibus non sufficiat ad iustitiam, probat deinde alijs argumentis, videatur Coninch ubi suprà num. 31.

13
Obiectio 2. Secundo obiicitur, quia fides solum perditur peccato infidelitatis, sed dæmones, & plures damnati non peccarunt hoc genere peccati; ergo non est, cur amiserint fidem. Respondetur facile, licet in via non auferatur fides, nisi ob infidelitatem: in

termino autem auferri ratione status: quia iam non esset utilis ad operandum, neque in ordine ad iustificationem, ut dictum est.

Terriò obiicitur S. Thoma *infra quæst. 18. art. 1. Obiectio 3. ad 2.* ubi constituit differentiam inter fidem, & spem, quod spes non maneat in damnatis, & fides maneat. Et 1. *part. quæst. 64. art. 1. in corpore* dicit, cognitionem, quæ est per gratiam, & in speculatione consistit, non esse malis Angelis omnino ablatam, sed diminutam, quia aliquæ cognoscunt de secretis per reuelationem sanctorum Angelorum. Respondetur ad primam differentiam à S. Th. assignatam inter fidem, & spem, hanc solum esse, quod spes nullo modo maneat in damnatis, nec infusa, nec naturalis; fides autem maneat aliqua, cum adhuc credant eadem obiecta, quæ nos credimus, licet non per fidem infusam, cum tamen nullo modo sperent, quæ nos speramus. Ad secundum locum ex *dist. 9. 64. art. 1.* Respondetur, S. Thomam ibi distinguere notitiam per gratiam à notitia per naturam, non quidem vt notitiam supernaturalem à naturali, sed solum ex parte rei cognitæ; quia nimirum aliqua obiecta cognoscit Angelus eo quod ordinent ad ordinem naturæ, & causarum naturalium, & hæc cognitio manet integra in Dæmone. Alia verò sunt obiecta occulta, quæ Deus decernit operari, & quorū notitia non debetur Angelo, & de his dicit communicari Dæmoni aliquam etiam notitiam, vel quia Angeli sancti aliqua ei manifestant, quando oportet, vel quia ex effectis externis ea Dei decreta manifestantur: neutra autem cognitio erit fidei supernaturalis.

Vnde obiter inferitur primò, quia via maneat in damnatis cognitio eorum, quæ nos per fidem credimus. Plures viæ assignantur. Prima est, quia Deus reuelatione eis manifestat, quam iuste puniantur, de quo habent euidenciam in attestante; & cum multi puniantur, quia negauerunt mysteria fidei, ea cognoscunt euidenter: imò & ipsa mysteria Deus illis fortè loquitur in acerbiorum ipsorum cruciatum. Ita explicat Hurtado *dist. 4. disp. 5. §. 8.* qui addit, hanc totam reuelationem esse naturalem quoad substantiam, unde per actum naturalem potest ab illis id totum credi. Suarez etiam *dist. lib. 8. de Angelis c. 6. n. 9. dicit*, si Dæmonibus per sanctos Angelos aliqua reuelantur, illa naturali actu ab eis cognoscitur quia fortasse talia sunt, & taliter proponuntur, vt vel in se euidenter possint cognosci, vel saltem per euidencia signa illa credere cogantur præsertim quia euidenter sciunt, sanctos Angelos mentiri non posse.

Alias vias hæc sciendi enumerat Coninch *dist. 17. num. 26.* quia nimirum vident aperte se esse damnatos, ac puniri, idque propter sua peccata, atque ita compelluntur credere Deum esse, ac peccata in inferno punire. Item quia Dæmones in via clarissime videntur, Deum sibi mysteria fidei reuelare, & consequenter ea esse veras; item quia ex consideratione omnium notarum fidei, huius credibilitas, atque adeo etiam veritas ita clarè illis obiicitur, vt intellectus eorum planè conuincatur: longè enim clarius ac altius notas fidei penetrat, quam nos eas possumus penetrare.

Ego non puto assignandam eandem regulam vniuersalè pro omnibus fidei obiectis, nec etiam pro omnibus damnatis. Nam in primis aliqua obiecta nos fide diuina credimus, quæ omnibus

damnatis fortasse euidenter constant: sicut enim Angeli mali naturali virtute sui intellectus cognoscunt euidenter existentiam vnus Dei infiniti, omnipotentis, &c. Ita credo animam separatam liberam à concretionem corporis posse naturali virtute potentie intellectus cognoscere euidenter existentiam Dei, licet minus perfectè, quàm cognoscat Angelus. Rursus puto, quod omnes damnati tam homines, quàm Angeli euidenter cognoscunt peccata sua ob quæ damnati sunt, & eorum malitiam, & grauiter in particulari. Hoc enim spectat ad iustificacionem diuini iudicii, & ad eorum penam, cuius non exigua pars est vermis conscientie propriæ testificantis singulis sua crimina, & eorum malitiam. Quæ notitia facili poterit esse in illis sine aliqua reuelatione propria, per species perfectissimas naturales, quæ distinctè & clare reducant in memoriâ, & exprimant omnes, & singulas culpas, & eorum malitiam; quæ memoria viuax, & præsens mirum in modum torquet damnatos omnes, nec ita grauiter torqueret, si non esset euidens, sed relinquere aliquod dubium vel locum exultationi quoad factum, vel quoad ipsam malitiam.

16 Alia sunt obiecta fidei, quæ videntur etiam omnibus damnatis esse nota, vt iudicium vniuersale futurum, & resurrectio vniuersalis ad hoc, vt corpora etiam in æternum torqueantur, & vt Dæmones intra infernum recludantur sine facultate de cetero vagandi, & tentandi homines, qualem nunc habent. Quæ notitia, & aliorum similibus obiectorum multum conducit ad eorum tormentum, & potius illis communicari per testificationem vel ipsius Dei immediatam, vel Sanctorum Angelorum, quæ testificatio potest esse naturalis: Nam proculdubio Angeli possunt naturaliter ad inuicem loqui, & Deus etiam sine infusione luminis supernaturalis potest loqui cum Dæmone vt auctor naturæ, prout loquutus refertur in *lib. Job*, quando illum interrogauit de Job, & facultatem ei concessit in eius corpus, & filios, ac reliqua bona fortunæ. Potest etiam hæc loquutio esse cum euidencia in attestante, & per consequens generare euidenciam rei testificatæ. Siue autem Deus immediatè, siue Angeli sancti hæc illis manifestent, credo ita fieri, vt ad minus generent euidenciam moralem de veritate loquutionis, & rei manifestatæ, vt postea de aliis obiectis dicemus: quod sufficit, vt moraliter saltem non possint dissentire.

17 Addo, non videri necessarium, quod semper Dæmones, & omnes damnati cognoscant, aut cognouerint certò omnia, quæ nos per fidem credimus: nam in primis multo tempore dæmones videntur dubij fuisse de mysterio Incarnationis, donec paulatim ex effectibus conuicti fuerunt: quod etiam de mysterio Eucharistiæ contingere potuit. Deinde damnati infideles, qui in hac vita fidei mysteria ignorauerunt, non est necesse, quod statim initio suæ damnationis veritatem omnium mysteriorum in particulari certò percipiant. Credibile tamen est, quod dæmones nunc de omnibus habeant iam euidenciam saltem moralem, quia penetrant perfectissimè vim motuorum nostræ fidei, quæ ad minus in eis generant euidenciam moralem. Homines verò damnati saltem post aliquod tempus, videtur, quod omnes habeant eandem noticiam totius nostræ fidei cum euidencia morali, quia stante multitudine innumerabili damnatorum, quorum plurimi pro-

pter infidelitatis peccata contra diuersos fidei articulos dampnati sunt, & quorum peccata omnibus videntur esse nota, non videtur fieri posse, quod non habeant omnes noticiam moraliter certam de articulis, & de obligatione illos credendi. Non tamen videtur necessarium, quod singuli homines damnati habeant noticiam in particulari singularum rerum, quæ in scriptura, v.g. continentur; horum enim omnium species nec omnes habuerunt, nec accipiunt à Deo, nec ex consortio aliorum damnatorum necesse est, quod eam noticiam acquirant. Sufficit, si omnes, vt dixi, habeant noticiam de mysteriis, quæ communiter fideles credunt, & de præcipuis dogmatibus, contra quæ extiterunt peculiare hæreses: sicut neque etiam in hac vita fideles communiter eam noticiam habent in particulari.

Hinc refertur secundo resolutio ad aliud dubium, an hæc fides impropria, siue assensus circa fidem nostram, quem damnati habent, sit in iis liber, vel necessarius: de hoc puncto variè loquuntur doctores. Plures dicunt, vel supponunt, hunc assensum esse necessarium: ita loquitur Suarez in *presenti d. 6. sect. 9. n. 10.* vbi ait, fidem dæmonum esse coactam, & non voluntariam, & *disp. 7. sect. 5. n. 3.* vbi omnibus damnatis dicit, ipsos non credere, nisi quatenus coguntur, imò probabile putat id, quod dixerat Paludanus in *3. dist. 2. 3. 4.* habere damnatos aliquos actus contrarios infidelitatis, quando per euidenciam non coguntur, quamuis Suarez fateatur, id esse incertum. Denique *lib. 8. de Angelis, c. 6. n. 8.* dicit, assensum ad res nostræ fidei in Dæmone esse coactum, seu necessarium saltem quoad specificationem, ex euidencia signorum, quod significatur in verbis illis Iacobi, *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Eodem modo loquitur Coninch *disp. 17. dub. 2. n. 27.* vbi ait, hunc assensum non esse Dæmoni vilo modo liberum quoad specificationem, imò nec quoad exercitium, quoties obiecta fidei ita ei obiciuntur, vt non possit de iis non cogitare; quare ad eum eliciendum nullus requiritur actus voluntatis. Vnde *n. 28.* concludit, fidem damnatorum esse omnino necessariam, nec pendere ab vilo actu voluntatis, nisi quandoque remotè: quatenus aliquando est in potestate Dæmonis de quibusdam fidei mysteriis non cogitare: hoc tamen non esse generale; nam sæpè nullo modo efficere potest, vt de quibusdam non cogitet, quando ei nimis clarè ex aliqua occasione obiciuntur: imò de quibusdam etiam voluntate repugnante semper necessariò cogitat, iisque assentitur, v.g. quod propter sua peccata à Deo puniatur; quodque ipsius manum, siue punctionem nullo modo possit effugere, & similibus. Turtianus etiam *disp. 43. dub. 3.* adducto P. Vasq. *tom. 2. in 1. p. disp. 219. c. 2. n. 6.* dicit, respectu aliquorum obiectorum ad eorum assensum non requiri in Dæmone actum liberum voluntatis, sed esse assensum necessarium.

Alij è contra videntur agnoscere libertatem aliquam in eo assensu, & dependentiam à voluntate, quibus fauere videtur S. Thomas in *presenti quest. 5. art. 2. in corpore*, vbi agens de fide Dæmonum, supponit eam à voluntate procedere, & in solutione ad primum dicit, eam fidem esse quodammodo coactam, & in eodem sensu in *3. sent. disp. 23. quest. 3. art. 3.* dixit, Dæmones non omnino libere assentiri rebus fidei, quas credunt. Vnde Valentia in *presenti quest. 5. puncto 2. cum* Caiet.

18
An assensus
circa fidem
damnatis sit
liber, vel ne-
cessarius

Caiet. *dist. 9. q. 5. art. 2.* indicat, eum assensum procedere ex affectu quidem ad bonum, nempe ad verum, non tamen ex affectu bono: & Lorca *disp. 30. n. 6. in fine, & n. 7.* fatetur, fidem in damnatis procedere à voluntate, & Bañes in *presenti dicto art. 2. in dubit. circa secundam conclusionem* probat, in Dæmone requiri imperium voluntatis ad credenda mysteria nostræ fidei.

20

Fortasse hi omnes auctores ita explicari possunt, ut parum diffideant, Et in primis fatendum est iuxta supradicta assensum circa aliqua obiecta, quæ nos fide credimus, esse in Dæmonibus necessarium omnino, v.g. quod sit vnus Deus, quod animæ nostræ sint ætæra sua immortales, & his similia, nam aliqua ex his cognoscunt intuitiue; alia, ut Dei existentiam, cognoscunt in creaturis intuitiue visis, quare licet Deus, non videatur intuitiue ab illis, cognoscitur tamen indirecte, ut terminus obiecti intuitiue visi, atque adeo eadem necessitate, qua noscitur obiectum intuitiue visum. Deinde non videtur dubium, quod initio prædicationis Christi Dæmones non habuerint necessitatem credendi eius diuinitatem, sed potuerint formidare, & dubitare, & suspendere assensum. Quod idem fortasse contingere potuit, quando Apostoli ex inspiratione Spiritus sancti proponebant de nouo aliquod fidei mysterium antea occultum: cum enim Dæmon non videret, an à proprio, an verò à diuino spiritu moti illud proponerent, sicut potuerant de Christi prædicationis veracitate dubitare, ita postea de Apostoli prædicationis veracitate dubitare initio potuerunt. Quare in iis casibus potuit assensus, vel dubitatio, aut dissensus à voluntatis imperio pendere, imo debuit, ut statim dicam.

21

Loquendo verò de iis fidei nostræ obiectis, de quibus dæmones habent moralem euidenciam, qualem diximus ab eis haberi de plerisque obiectis fidei nostræ, videtur dicendum eum assensum in illis esse necessarium, saltem quoad specificationem: tum quia, ut dicebamus *disp. 2. sect. 1.* plerumque licet non sit euidencia metaphysica de obiecto, sed solum moralis, non tamen apparet fundamentum ad dissensum etiam imprudenter eliciendum: tum etiam quia si quod est fundamentum, est adeo tenue, ut non videatur sufficiens intellectui, certè ad minus videtur esse tanta difficultas dissentendi, ut id sit moraliter impossibile propter summam difficultatem. Quis enim sanæ mentis inter homines poterit, quantumcunque velit, credere, quod non sit India, licet eam nunquam viderit, & serio iudicare, quod omnes mentiti sunt, quotquot de Indiæ existètia nobis testificati sunt. Vnde probabile etiam videtur, quod dæmones in his obiectis necessitatur etiam quoad exercitum ad ea credenda, nec possunt moraliter assensum cohibere. Tam innatus enim est, & vehemens inclinatio ad verum sciendum, ut quoties cum eo gradu certitudinis obiectum proponitur, non possit voluntas impedire eum assensum, nisi aliquod motuum boni non levis voluntati proponatur ad suspendendum assensum intellectualem. Quale certè motuum dæmones non habet; parum enim eis prodest cohibere assensum formalem circa eiusmodi obiecta, quando ex parte obiecti vident veritatem esse moraliter necessariam, quod sufficit ad generandam tristitiam, & aliunde priuant se sine fructu scientia formali illius veritatis, quam scientiam circa omnes veritates summopere appetunt. Quamuis ergo hic

assensus dependentiam habeat à voluntate, ut statim dicam, non tamen videtur moraliter possibile, quod ab eo abstineant, positus motus adeo vehementibus, quæ eos quodammodo cogunt, ut dixit S. Thomas, ad ea obiecta credenda. Quod pacto videtur explicasse hanc necessitatem fidei in dæmone Bañes *dicto art. 2. loco supra citato.*

Addo itaque vterius loquendo de eisdem obiectis, de quibus habent moralem euidenciam, eiusmodi assensum in dæmone pendere ab eius voluntate non omnino libera, sed moraliter, ut dixi, necessaria, & hoc pacto conciliari fortasse possunt, qui negant, & qui affirmant fidem dæmonis pendere à voluntate; non enim dicimus pendere à voluntate omnino libera, licet à voluntate dependeat. Porro præcedere debere aliquam voluntatem ad eum assensum formalem intellectualem, probati possumus ex ipsa natura Angelis, in qua ob eius perfectionem naturalem non conceditur à Theologis peccatum veniale ex surreptione, etiam si in natura pura creati fuissent: quia omnis deliberatio, & comparatio vnus obiecti cum alio sit ex imperio ipsius voluntatis præuenientis, ut latius probat Suarez *lib. 3. de Angelis c. 8. num. 3. & sequentibus.* Quam doctrinam ego sic intelligo, ne nimium probet, ut scilicet antecederet ad imperium voluntatis possit esse in Angelo assensus intellectualis immediatus genitus ex speciebus, vel obiectis representantibus immediatè obiecta in se ipsis: cum oculus independentè à voluntate nostra videt obiectum præsens, & sensus internus, atque intellectus cognoscunt idem obiectum præsens, sic Angelus intellectu perfectè intuetur obiectum præsens, & audit vocem alterius Angeli sibi loquentis propter speciem sibi impressam, quæ representat immediatè talem vocem, vel loquutionem. Alioquin si ad omnem cognitionem iudicium Angelis prærequireretur imperium voluntatis, daretur processus in infinitum, cum ad imperium illud prærequiratur aliud iudicium, ad quod prærequireretur alia voluntas, & sic in infinitum. Quare concedendi sunt in Angelo aliqui assensus intellectuales independentes à voluntate, & sufficientes ad mouendam voluntatem, ut velit vterius deliberationem ab intellectu fieri, & consultationem plenam circa alia obiecta, vel circa eadem propolita, & cogitata aliis motiuis. Cæterum licet intellectus Angelis independentè à voluntate possit representare eiusmodi obiecta immediatè, quoad assensum tamen circa obiecta mediata, quibus per discursum formalem, vel virtutalem assentitur, dependet omnino à voluntate, & multò magis, quando euidencia obiecti non omnino conuincit, ut contingit, quando motiua solum generant euidenciam moralem: quia perfectio naturæ Angelicæ videtur id exigere, ut potentia omnes in suis omnibus actibus, quantum fieri possit, subordinentur Angeli dominio perfectò, & per consequens imperio voluntatis cum plena deliberatione imperanti. Prærequiritur ergo voluntatis imperium, ut Angelos propter motiua propolita assentiantur positiue obiectis nostræ fidei. Quia tamen hæc voluntas communiter est necessaria necessitate morali propter summam difficultatem cohibendi assensum, ut dixi, ideo S. Thomas *quest. 14. de veritate art. 9. ad 4.* dixit Dæmones non voluntate, sed necessitate credere; nimirum in eo sensu, quo in præfati dixit, fidem illam esse quendam

quodammodo coactam, quæ omnia de necessitate morali cum libertate physica bene intelliguntur.

23 *Ad damnatos non credant res nostræ fidei, de quibus possunt solum habere evidentiam moralem, indigeant imperio voluntatis. Hoc tamen pendet ex alia questione philosophica, an animal rationalis in statu separationis secundum suam naturam exigit etiam non habere actus subreptitios, sed omnes quoad fieri possit sub perfecto dominio voluntatis plenæ, & deliberatæ. Qui enim hoc negabunt, & dicent, id esse proprium Angeli propter maiorem suam perfectionem, & nobiliores naturam, quam habet, consequenter dicent, non prærequiri omnino in anima damnata eiusmodi imperium ad credendas res nostræ fidei, sed intellectum conuictum ex motibus moraliter evidentibus, non apparente motivo sufficienti pro parte contraria, posse, non expectato imperio voluntatis, credere omnia obiecta, quamvis si voluntas præueniret, posset fortasse, si non moraliter, saltem physicè impedire assensum, & cogere intellectum ad eum suspendendum. Qui verò dixerint, animam separatam habere hoc etiam ex natura sua, vt habeat actus suos in suo dominio, & potestate, nec esse capacem surreptionis, quia surreptio in homine provenit ex sensibus externis, & internis, & appetitu sensitivo; Quæ omnia cessant in anima separata, consequenter dicent, ad credendas eo casu res nostræ fidei, prærequiri etiam in anima damnata imperium voluntatis, sicut in Angelo propter eandem rationem. Hoc autem parum refert: tum quia S. Thomas in presenti dicto art. 2. ubi supposuit, requiri voluntatem, loquutus est expressè de dæmone, non de animabus damnatis; tum etiam quia, licet in anima requiratur voluntas ad credendum, adhuc ea voluntas erit etiam necessaria necessitate morali, vt dictum est de Angelo: quare in aliquo sensu fides omnium damnatorum erit necessaria & quodammodo coacta.*

24 *Vnde rursus inferitur tertio verum esse id, quod supra citati Auctores dicebant, damnatos non credere mysteria fidei, nisi quatenus à motibus coguntur, hoc est, eorum assensum non esse ita firmum, & super omnia, sicut est nostrer actus fidei: quia adhesio firmissima nostra provenit ex pia affectione voluntatis, quæ ex affectu erga divinæ veritatis cultum imperat assensum quo res à Deo dictæ credantur super omnia: quæ pia affectio, & studium colendi Deum, cum non sit in damnatis, non credunt ea obiecta, nisi eo modo, quo nos credimus esse Indiam, propter motum, quæ generant moralem evidentiam, vel si habent eundem etiam physicam, vel metaphysicam de ipsis obiectis, vel de divina testificatione, credunt eo modo, quo cetera obiecta, de quibus habent evidentiam physicam, vel metaphysicam, nullumque gradum firmitatis addunt, propter reverentiam divinæ veritatis. Vnde in hoc ipso iam peccant contra fidem, quæ propofita sufficienter divina revelatione, pro vt eis proponitur, obligat ad credenda ea obiecta firmissimè, & plusquam alia obiecta similia. Si verò res aliquæ minores nostræ fidei veniant ad eorum notitiam sine motibus generantibus evidentiam moralem de re ipsa, vel de divina testificatione,*

sed eo modo, quo nobis communiter proponuntur, an circa ea obiecta habeant actum positivum infidelitatis, vt dixit Paludanus supra adductus, probabile videtur, non solum habere actum contra fidem, quatenus ea obiecta non credunt firmissimè, sed cum formidine, sed etiam quatenus vel ea negant, si habent fundamentum sufficiens ad ea saltem imprudenter neganda, vt faciunt hæretici, vel certè de iis positivè dubitant, quod etiam est peccatum infidelitatis. Nam cum ex odio erga Deum ferantur etiam ad eius cultum negandum, & Deum dehonorandum quantum possunt; credibile est, quod etiam evidentia saltem moralis eos non cogat ad assensum, sed possunt dissentire, sicut hæretici, cognita tamen obligatione credendi, eos tunc arrepta occasione velle dissentire, vel non credere, vt Deum offendant. Nam si hæretici ex pravo affectu erga se ipsos, vel sua commoda id faciunt, licet videant obligationem credendi, & debere prudenter credi, quid mirum, si damnati ex maiori odio, & affectu vindictæ contra Deum idem faciant, quoties ab evidentia saltem morali non coguntur credere? Denique ex hoc ipso fit, peccare damnatos formalissimè contra fidem etiam tunc, quando credunt obiecta nostræ fidei, quia tunc etiam saltem ex parte voluntatis ita sunt affecti, vt vellent non credere, si evidentia non cogeret, & vellent ea obiecta negare, etiam si esset obligatio non negandi, sed credendi, quando sufficienter, sed sine evidentia morali proponeretur vt à Deo revelata. Quare tunc etiam secundum affectum saltem committunt formalissimè peccatum mortale infidelitatis.

SECTIO III.

An detur fides in Beatis, ubi etiam de animabus Purgatorij.

25 *Quod attinet ad Beatos, quæstio potest procedere de actu, & de habitu fidei: & vt à faciliore incipiamus, Primò certum omnino videtur, & extra controuersiam, quod in Beatis possit esse fides latè sumpta, hoc est, assensus fundatus in reuelatione clara Dei. Nam præter ea, quæ Beati in Verbo vident permanenter potest Deus successivè secundum occurrentias plura secreta eis manifestare. Potest autem id facere, vel per scientiam infusam, quam illis communicet de iis obiectis, vel per reuelationem, qua Deus eis clarè loquatur, sicut vnus Angelus Beatus potest etiam cum aliis loqui, & eis sua arcana manifestare. Quo casu Beatus certissimè credet ea obiecta à Deo sibi dicta, & hoc propter Dei testimonium à se clarè cognitum: hæc autem non erit propria, & stricta fides, sed notitia evidens per medium demonstrativum à posteriori: quæ notitia evidens non repugnat cum statu beatifico saltem de iis obiectis, quæ non videntur in Verbo, nec aliunde perfectissima cognitione immediata possidentur. An verò possit dari eiusmodi notitia evidens mediata circa obiecta aliunde clarissima visa, diximus supra disp. 2. sect. 2. Nunc ergo quæstio procedit de fide strictè dicta pro vt significat assensum obscurum, vel circa obiectum materiale creditum, vel saltem circa motiuium formale credendi.*

Secundò